



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Nucleus Casuum Conscientiæ Sive Brevis Notitia Eorum
quæ scitu vel necessaria, vel valde vtilia sunt
Confessarijs in primo ingressu ad audiendas Confessiones**

Agostini, Giuseppe

Coloniae Agripp., 1644

Monitio ad initiandos sacro Presbyteratue Ordine, n. 23.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41767

mouendi, diligenter secum perpendant ad quantum gradum Ecclesiæ ascendât, nam vt olim Leuitæ arcam fœderis, ita nunc ipsi Ecclesiam Dei portare & munire debent, ornatu Sancto, prædicatu diuino, exemplo perfecto, vt verè testetur se esse Leuitas, hoc est assumptos à carnalibus desiderijs, & à terrenis concupiscentijs, quæ militant aduersus animam, vt hæreditas & tribus amabilis Domini esse mereantur, & tanquam ministri & Cooperatores Corporis & Sanguinis Domini sint ab omni illecebrâ carnis alieni, & quibus Euangelium ore annunciant, viujs operibus exponant, habeantque pedes suos calceatos Sanctorum exemplis, in præparationem Euangelij pacis. *Pontificale Rom. tit. De Ordinatione Diaconi.*

Monitio ad initiandos Presbyteratus ordine.

XXIII. Qui verò ad sacrum Presbyteratus ordinem se præsentare intendunt, meminerint, quod cum magno timore ad tantum gradum ascendendum est,

est, atque providendum, ut cœlestis sapientia, probi mores, & diuturna iustitiæ observatio ad id electos commendent, & aduocati in adiutorium Episcoporum cognoscant quod agunt, imitentur quod tractant, quatenus mortis Dominicæ mysterium celebrantes, mortificare membra sua à vitijs & concupiscentijs suis omnibus procurent: sitque doctrina eorum spiritualis medicina populo Dei, sit odor vitæ delectamentum Ecclesiæ Christi, ut prædicatione atque exemplo ædificent domum, id est, familiam Dei, eluceat in eis totius forma iustitiæ, ut bonam rationem dispensationis sibi creditæ reddaturi, æternæ beatitudinis præmia consequantur. Pontificale Rom. tit. de Ordinatione Presbyteri.

Testimoniales requisitæ ab ijs qui in Collegiata sunt beneficiati, vel in Gymnasio degunt: Item à Religiosis quibuscunque.

XXIV. Insuper quilibet maioribus insigniendus ordinibus, si sit secularis, & in Ecclesia Collegiata eive subiecta